

versiculo 17, nemo dubitat, qui cum jam labore senectuteque deficeret, hosti potentiori succubisset, nisi maturè illi subvenisset Abisai. Quòd si David divinà virtute confirmatus esset aliis robustior, quia tamen illud quidquid erat roboris, alienum putabat, et à se ipso habere nihil nisi infirmitatem arbitratur, et merum nihil, meritò aliis omnibus plus quam sibi ipsi tribuebat facultatis ac virium.

VERS. 19. — *PRÆVENIT ME IN DIE AFFLICTIONIS MEÆ, ET FACTUS EST DOMINUS FIRMAMENTUM MEUM.* De Saùle loquitur hic, ut apparet; psalmo verò 17, de aliis etiam hostibus à Saùle. Quomodo Saùl prævenerit, et securum atque imparatum occupaverit Davidem, constat primum, cum capite 19, satellites misit, qui Davidem aut caperent, aut opprimerent; quod fecissent facile, nisi Michol illum paternis subduxisset insidiis. Prævenerit item, cum Ziphæis edixit, ut locum, in quo lateret, observarent, ut eò ipse cum delectà manu quamprimum advolaret. Et quod callidè tentavit Saùl, idem etiam fecit Absalom, qui prævenerit voluit parentis excessum è Jerosolymà; et Achitophel, qui immittendum dicebat contra Davidem exercitum, antequàm collectis auxiliariis copiis sese ad repugnandum confirmaret. Illud autem tempus totum fuit afflictionis Davidis, quia aut solus errabat, aut ita stipatus in solitudine, ubi rebus ad vitam necessariis indigebat, ut præ hostium suorum multitudine non procul abesset à solitario.

Abulensis illud, *prævenit*, seu, ut habet psalmo 17, *prævenierunt*, sic interpretatur, ut excuset se David, quòd cum domesticis atque Israelitis bella gesserit, quòd aliquis improbare poterat, quia neque id in patriam, aut in cognatum sanguinem charitas permittebat, et debilitatis per civile atque intestinum bellum Israelis viribus, externorum bellis et victoriis patebat à domestico milite spoliata respública. At ergo David se non ultrò cognato sanguini bellum intulisse, sed lacesitum armis, aut provocatum injuriis. Intulit bellum Isboseth Saùlis filio, quia ille, auctore ac duce Abner, bonam regni partem abstulerat. Intulit Absalomi filio, quia ipse securum parentem impiis armis invaserat. Intulit Sebæ, quia contra regis caput et nomen seditionem excitavit in populo. Quare illi aggressi sunt regem præveniente bello; ille verò illatum ab aliis necessariò repulit. In hunc fermè modum Abulensis, cujus sententia ideò mihi placet minùs, quia hic David suam tantum videtur ærumno-

sam et infirmam conditionem proponere, et hostium vires, et callidas insidias, quibus superandis imparem se prorsus arbitratur, neque illas effugisset, nisi cœlitus sibi datum esset auxilium.

VERS. 20. — *ET EDUXIT ME IN LATITUDINEM; LIBERAVIT ME, QUIA COMPLACUI EI.* In angustiis esse, aut in angustum redactus dicitur ille, qui in arcum ab hostibus coactus est, unde nisi Deus singulari aliquà ratione provideat, incolumis evadere non potest, aut cum vitam agit ærumnosam et tristem. Cum autem *latum* opponatur *angusto*, et *angustie latitudo*, educi in latitudinem nil aliud est profectò, quam ex periculis, aut ærumnosæ vitæ quotidianis incommodis emergere. Sanè in angusto erat David, cum occultabatur in speluncis; cum dare se in hominum conspectum et societatem non audebat; cum cibos ab aliis aut emendicabat supplex, aut necessariò accipiebat oblatos. In latitudinem eductus est, cum liberum jam spiritum haurire potuit, et lucem intueri sine metu, et rebus abundavit, non solum ad usum, sed etiam ad dignitatem necessariis. Cur autem Deus tam in ipsum fuerit liberalis et benevolus, eam adducit rationem, quia sibi Deus in ipso complacuit, quia nihil habuit aut prius, aut majus, quam ut divino obsequeretur imperio, et totum se ad illius voluntatem attemperaret et fingeret.

VERS. 21. — *RETRIBUET MIHI DOMINUS SECUNDUM JUSTITIAM MEAM.* Si tempus hoc rem futuram significat, sperare se dicit regius Psaltes secunda omnia à divinà manu, quia ipsius et animus et studia à justitiæ legibus non abhoruerunt, et manus suas mundas servavit à rapinis, et ab omni scelere continuit. Quòd si illud, *retribuet*, significationem habeat præteriti temporis, quòd, juxta illa quæ paulò ante dicebamus, satis est verisimile, cum eodem filo verba præcesserint temporis præteriti, sensus est, edictum fuisse jam regem in latitudinem, quia manus habuit puras ab injurià, neque à divinà voluntate, et ab illius mandatorum semitâ declinavit. In quam ego cogitationem magis inclino, quia quo tempore hæc à Davide dicebantur, jam cessarant bella, quòd in senectute maximè videbatur optabile; jam in regno sedebat, sedatis tam externis, quam intestinis motibus; neque si humana spectes commoda, in eo temporis atque ætatis articulo quidquam jam amplius apparebat optabile. Et quidem hæc atque alia, quæ tam hoc loco, quam in psalmo 17, ad v. 25, in futuro legimus, Pa-

gninus et Tigurina, et Hispanica translatio, imò et Hieronymus in psalmo 17, per præteritum reddunt. Quos etiam nos sequemur ad v. 25, si quando tempus inciderit futurum.

Quærit hic Abulensis, quomodo David dixerit omnia præcepta Domini à se fuisse servata, cum tamen non semel, neque leviter aliquando peccaverit, ut docet Uriæ cædes, et ejus uxoris violatus pudor. Respondet, non hic de quolibet materiâ, in quâ peccari potest, esse sermonem, sed de bellis aut susceptis aut gestis, in quibus nihil tentavit injustum, nihil gessit crudele, ut apparet in Saùle, quem cum posset aliquando tollere de medio, pepercit tamen, eo tempore quo maximè ipsius sanguinem sitiabat. Pepercit Semei, à quo indignissimis fuerat vexatus contumeliis. Oravit ne quis Absalomem, in quo gravissimæ erant causæ mortis, opprimeret. Amasam, qui Absalomis ductabat exercitum, non solum non occidit, cum justissimè posset, sed etiam novis ornavit titulis, cum in castris principem esse voluit pro Joab. Quia ergo justum se et mitem in hostes præbuerat, ab hostibus illius Dominus præstitit incolumem (1).

VERS. 24. — *ET ERO PERFECTUS CUM EO, ET CUSTODIAM ME AB INIQUITATE MEA.* Hæc per præteritum explico, juxta ea quæ nuper dixi. Esse perfectum cum Domino, est omninò verè ac seriò, et non tantum simulatam habere sanctitatis speciem; habere Deum ubique præsentem, et ad illius oculos omnia vitæ actionumque momenta componere; non obsequi hominum opinionibus, aut ab illis captare laudem omninò vanam, sed ab unius Dei judicio voluntateque pendere. Eo sanè sensu dixit Dominus populo, Deut. 18, v. 13: *Perfectus eris, et absque maculâ cum Domino tuo.*

VERS. 25. — *ET RESTITUET MIHI DOMINUS SECUNDUM JUSTITIAM MEAM.* Hic versus idem penè

(1) VERS. 22. — *Car j'ai gardé les voies du Seigneur, et je n'ai point commis d'infidélité contre mon Dieu.* Cette parole est vraie à la lettre de David, s'il a composé ce cantique avant son péché. Elle peut l'être encore en un sens, même après sa chute, parce que, depuis le moment qu'il a été touché de Dieu, il lui est demeuré toujours fidèle, et qu'il n'a pensé qu'à reconnaître ses miséricordes et à satisfaire à sa justice. Ce qui n'empêche pas néanmoins qu'il n'ait pu manquer en quelque chose, ou dans la manière dont il a traité Miphiboseth, ou dans le dénombrement qu'il a fait du peuple. Aussi nous voyons dans l'Écriture que souvent le Saint-Esprit loue David absolument, comme s'il avait été fidèle à Dieu pendant toute sa vie.

est cum v. 21; neque est aliquid, quòd additum hic esse magni referat.

VERS. 26. — *CUM SANCTO SANCTUS ERIS, ET CUM ROBUSTO PERFECTUS.* Ostenderat Psaltes quot à Deo accepisset, et quàm opportuna subsidia contra inimicos tam acres, tam pertinaces, tam denique ad omnem militarem impetum instructos. Et hujus rei rationem proximè dederat, quia ipse à Dei mandatis nunquam aliorum declinavit. Ex his omnibus deducit homo sapiens, et longo edoctus experimento, talem esse Deum in homines, quales se homines in Deum exhibere voluerint. Conversus igitur ad Deum, cujus commendat in benè de se merendo constantiam, his illum sermonibus alloquitur: *Cum sancto*, ó Domine, *sanctus eris*; novi ingenium tuum, hominum te moribus et meritis accommodas: cum sanctis agis sanctè, id est, in illo sanctitatem commendas et ornas, facisque ut illi ab aliis ille tribuatur honor, qui sanctitati ac religioni debetur. Ut enim templis, sacrisque religioni locis ille honor impenditur, qui profanis negatur et communibus, sic etiam sanctis illa à Deo conciliatur religio, ille exhibetur honor, quem neque assequuntur, neque merentur profani. Expertus hæc loquitur et prædicat David. Ubi Vulgatus: *Cum sancto sanctus eris*, Hebraicus textus habet: *Cum misericordie misericors eris*. Quòd sanè benè cadit in Davidis mores et ingenium; quàm fuerit etiam in hostes misericors, exempla docent superius adducta, et ipse docuit Psal. 7, v. 5: *Si reddidit retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis*. Quam misericordiam et mansuetudinem obtendit David, psalmo 131, ut à Deo, cujus ingenium noverat, misericordiam extorqueat. Quòd docuit Christus, cum Matth. 5, dixit: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.*

ET CUM ROBUSTO PERFECTUS. In psalmo 17: *Cum innocente innocens eris*. Si verba hæc spectes, sensus erit: Non docebis illi qui non nocuit; parce illi qui pepercit; neque gladium habebis, qui pungat et laceret illum qui nunquam gladium aliorum sanguine cruentavit. At in *robusto*, atque *perfecto*, ut hoc loco reddidit Hieronymus, constantia significatur, et consummatum opus. Quare qui in beneficiendo, aut præclaro aliquo opere constans fuerit, et susceptum virtutis opus exactè perfecit, constantem etiam experietur Dominum, qui munificam non continebit manum, donec opus suum ad exitum usque perducatur.

VERS. 27.—**CUM ELECTO ELECTUS ERIS (1).** Electus ille dicitur, qui in aliquo genere princeps est, et ideo cum de eligendo aliquo deliberatur, ille ex multis ad designatum opus aut ministerium assumitur. Quare sensus erit, in præstantes homines, qui supra cæteros excellent, eam mensuram habiturum in ornando atque benè merendo Deum, quâ illi mensurâ ac modo in virtutum studio cæteris præstiterint; quod si electi fuerint ex omnibus, electam supra omnes divinam experientur largitatem.

Et cum perverso perverteris. Perversus ille dicitur, qui vitæ invertit ordinem, et contra facit, quàm factum oportuit. Ut si quis sacrum ac religiosum vivendi modum sit exorsus, deinde ad profana, aut etiam gentilica instituta inclinet, ille perversum quoque experietur Deum, id est, longè alium, ut ita loquar, ab eo quem, dum rectè vixit, et ad suum institutum accommodatè, expertus fuit liberalem et placidum. Perverti autem dicitur Deus, dum à suo ingenio et quodammodò à seipso videtur alienus. Dei proprium est misereri, ac parcere, et largis homines et assiduis ornare beneficiis. Mutare autem videtur ingenium, et à seipso deficere, cum iudicis cogitur assumere personam, et depositâ virgâ, quæ decor appellatur, Zachar. cap. 11, quâ molliter pascit commissum sibi gregem, assumere illam quæ funiculus dicitur, quâ frangit, et terret, et conterit devium et morosum pecus. Hoc planè perverti est, sicut perversus vocari posset pastor, qui prius amanter et indulgenter pasceret, deinde crudeliter per aridos scopulos ageret, indeque elumbum dejiceret, et macilentum gregem. Hæc sententia in sacris litteris non semel occurrit, quæ Deum dicit ingenium suum aliorum attemperare moribus ac studiis. In hoc

(1) Vous serez pur avec les purs, et vous paraitrez méchant avec les méchants. Dieu agit simplement avec les simples. Il est l'ami véritable de ceux qui le servent dans la vérité. Mais il se déguise en quelque sorte, selon la parole de saint Bernard, avec ceux qui se déguisent; il se cache à eux comme ils se cachent à lui, et il se sert de l'adresse même de leur esprit malicieux, pour les faire tomber dans le piège qu'ils tendent aux autres. C'est ainsi que Dieu a renversé par sa sagesse la malignité de Saül, d'Absalom et d'Achitophel. Ils se sont efforcés de perdre David par tous les moyens que le mensonge et l'artifice ont pu inventer, et Dieu les a confondus dans leurs vains projets, et les a fait périr misérablement.

Ce psaume est plein de mystères, comme tous les autres. Mais on a cru ne devoir le considérer ici qu'autant qu'il fait partie de l'histoire de David, et qu'il a rapport aux grâces particulières que Dieu lui a faites. (Sacy.)

argumento totum penè caput 26 Levitici consumitur, ubi hæc sententia sæpius iteratur, ut versiculo 25: *Si ambulaveritis ex adverso mihi, ego quoque contra vos adversus incedam.* Idem David, à quo isthæc audimus, dixit Salomoni inter alia administrandi regni documenta, 1 Paralipomenon 28, versiculo 6: *Si quaesieris eum, invenies; si autem dereliqueris eum, projiciet te in æternum.* Et Christus Matth. 7: *In quâ mensurâ mensi fueritis, remetietur vobis.* Sunt in hanc sententiam non pauca Latinorum proverbialia, quibus significatur aut par relata gratia, aut studia paribus studiis opposita. Qualia sunt illa: *Malo nodo, malus cuneus; cum vulpe vulpinandum; cretizandum cum Crete; cum Care carizandum.*

Spectabat, credo, David, dum ista diceret, quid suis temporibus accidisset, quæ nos tam primo, quàm secundo libro Regum fusiùs explicuimus. Viderat Heli, cum suum moderatè ac rectè ministerium obiret, à Domino cum honore et pace fuisse tractatum; deinde cum illius vecordia, et nimium dissoluta in filios indulgentia, religionem et sacrificandi leges non tam à sacerdotibus servari, quàm prodi atque corrumpi videret, mutavit animum, et quos prius fuerat molliter amplexus, eosdem privavit non sacerdotio solum, sed etiam vitâ. Hoc ipsum proximè observârat in Saule, in quem, cum esset innocens et sanctus, sanctus quoque Deus et innocens fuit, et claris illum nobilitavit triumphis: sed postquam suo magis arbitrato, quàm divinâ voluntate rationes publicas moderari voluit, cum homine jam suo malo perverso, se quoque Deus illicò pervertit; exagitavit illum à malo spiritu, nullum habuit pacatum aut vacuum à dolore, aut sollicitudine diem, donec tandem sibi ipsi attulit in extremâ desperatione manus, et deinde tota fermè familia propter ipsius peccatum in crucem est acta. Hæc itaque meditabatur hoc tempore David, et ideo de Deo quàm verissimè cecinit: *Cum perverso perverteris.*

VERS. 28.—**ET POPULUM PAUPEREM SALVUM FACIES, OCVLSQUE TUIS EXCELSOS HUMILIABIS.** In psalmo 17: *Et oculos superbiorum humiliabis.* Hic, ut opinor, explicatur, quoniam sint illi, qui in conspectu Domini possint ac debeant appellari perversi; illi nempè, qui superbos alunt spiritus, qui sublimia cogitant, qui oculos attollunt ad excelsa. Horum Deus oculos superbos vel uno tantum oculorum conjectu deprimit et humiliat. Sic enim expono, ut utramque lectionem aptè componam: *Oculis tuis excelsos*

oculos humiliabis. In paupere populo humilem agnosco, qui nihil de se magnificè cogitat. Et quidem vox Hebraica *ani* non magis pauperem, quàm humilem significat. Et quidem à paupere abesse non solet humilitas, cum illis careat, quæ inflatos gignunt et attollunt spiritus.

VERS. 29.—**QUIA TU LUCERNA MEA, DOMINE: ET TU, DOMINE, ILLUMINABIS TENEBRAS MEAS.** Tam in luce, quàm in tenebris duæ notissimæ inveniuntur metaphoræ. In luce enim doctrina significatur, quæ ignorantiam, cujus symbolum sunt tenebræ, ex hominum mentibus expellit. Significat præterea fortunam bonam, conditionem pacatam et illustrem; sicut tenebræ contra vitam indicant infelicem, in quâ nihil sit quod probes aut ames. Hæc duo fatetur David se habuisse à Domino cumulatè, dum illum suam sibi lucernam fuisse prædicat. Docuit enim illum in rebus dubiis quid facto opus esset; tum per internam illuminationem, quâ certam viam in periculis ad salutem et victoriam ostendit; tum per oracula, ex quibus exterioribus signis apertè cognovit, quod rei tam privatæ, quàm publicæ futurum esset usui. Notum est enim quàm sæpè ab Abiathar per ephod divinam voluntatem agnoverit; quot ab illo consilia ad rerum præclaros exitus acceperit. Hoc planè fuit, Davidi Dominum claram et familiarem fuisse lucernam. Fuit item lucerna, quia Davidem è tenebris, id est, è vitâ tenebricosâ ac miserâ, cui obversabatur quotidie umbra quædam impendentis exitii, ad lucem, id est, ad libertatem et securam pacem evocavit. Quare agnoscit et profitetur habere se à Deo, ut nôrit quid facere, quid declinare debeat, et quod vitam ducat verè vitalem, quam videri poterat ante perdidisse. In hæc posteriori acceptione sumpsit lucernam Job, cum dixit cap. 29, v. 3: *Quis mihi tribuat, ut sim juxta menses pristinos, etc., quando splendebat lucerna super caput meum, etc. Quando lavabam pedes meos butyro, et petra fundebat mihi rivus olei!*

Hic porrò duo observo: Primum, tempus illud futurum, *illuminabis*, juxta prædicta explicari posse per præteritum. Certè in Psal. 17, verbum futuri per præsens redditur à Septuaginta. Hebraicè *tahir, illuminabis.* Septuaginta, *quoniam tu illuminas.* Et cum illa omnia, quæ sub hæc commemorantur, acciderint, optimè quæ postea subjiciuntur, ad tempus illud præteritum aptantur. Verumtamen, quia non incommodè eadem in futura tempora conveniunt, per futurum exponi possunt in hunc sensum: *Quia experientiâ didici nihil in vitâ meâ fuisse*

caliginosum, quod non illuminaveris; nihil ita miserum, quod tuâ clementiâ non reddideris fortunatum et lætum: spero fore ut hæc eadem in posterum à tuâ benignitate recipiam; cum videlicet urgente jam senio, à meis viribus aut meis, aut mihi nihil strenuum aut utile polliceri possim.

Ubi hoc loco: *Quia tu lucerna mea*, in psalmo 17, est: *Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine.* Eodem, credo, aut certè sensu non longè dissimili. Quasi diceret: *Mea jam extinguetur lucerna, quia non procul aberam à morte, dum instabat undique circumfusus Saülis exercitus; aut dum cum prodigiosæ molis gigantibus congressus, maximè cum jam labore, atque senectute deficerem, cum instaret Jesbibenob adolescens robustus et audax; sed illam tu jam pene fumantem accendisti. et conservasti vitam ac spiritum, qui seniles hosce artus fovet et regit.*

Secundò observo illud, *quia*, sicut alibi sæpè, otiosum hic esse; quod non rarò contingere docuimus in nostris commentariis in Jeremiam ad illud cap. 4: *Ista malitia tua, quia amara*, et Thren. 4: ad illud: *Quia venit finis noster; ubi exemplorum satis.*

TU ILLUMINABIS TENEBRAS MEAS. Si quæ videlicet in eo quod reliquum est temporis, ab hostibus incurrant, aut quas secum afferet senectus ipsa, quæ naturalis quidam morbus est, et plurimas secum importat molestias, ubi cum minùs sit virium, multa tamen adveniunt valetudinis incommoda. Quæ cum meditaretur rex ipse, neque in frigido atque senili corpore aliquid videret esse constantiæ, ad illud tempus periculosum et triste, adesse sibi orabat divinum auxilium. Psal. 70, v. 9: *Ne projicias me in tempore senectutis, cum delecerit virtus mea, ne derelinquas me.*

VERS. 30.—**IN TE ENIM CURRAM ACCINCTUS, IN DEO MEO TRANSILIAM MURUM.** Hæc, ut dixi, ad futurum tempus refero, in quo licet omnia David à senectute et morbo timeat adversa, tamen favente Deo, quem sibi affuturum esse confidit, nihil arbitratur fore difficile. Quare accinget se rursus armis, quæ ætas jam gravis et emerita dudum deposuerat, multò felicius quàm rex ille longævus, de quo Maro lib. 2 Æneid.:

Arma diu senior desueta trementibus ævo Circumdat nequicquam humeris, et inutile ferrum.

Et, quod in re bellicâ majus desiderat robur et audaciam, ascendet murum felici superatum assultu, et per medios inimicorum cuneos in

media civitatis loca penetrabit. Sanè hoc opus esse difficillimum docuit rex ipse, quando lib. 1, cap. 5, principem in exercitu locum promisit illi qui domatum fistulas primus tetigisset, id est, qui ad muros ascenderet, quos cæcis et claudis defendendos Jebusæi tradiderant.

VERS. 31. — DEUS IMMACULATA VIA EJUS. Rationem reddit, cur à divinis sive promissis, sive auxiliis tantùm sibi roboris et audaciæ sumat. Quia videlicet Deus fidelis est et constans in promissis, longè aliter atque illi quos deos sibi finxit et coluit delusa gentilitas; qui cùm multa promittant, illisque lactent credulas nimium et stolidas gentes, illorum tamen promissorum fides nusquam apparet. Id enim valet, ut opinor, *via Domini immaculata*, id est, cui nihil adhærere possit suspicionis, quæque nihil habet simulatum et fallax. Cætera, quæ nobis offert, aut vendit mundus, sincera non sunt, sed ex variis concreta fallaciis, quæ speciem interdum habent illustrem, fucata tamen, in quibus nihil est veri, nihil solidi: quemadmodum vile metallum, et ad omnes usus prorsus inutile, quod tenuissima contegit et simulat bractea ex auro, quæ brevi affricu manus excidit, et hiantem relinquit, et delusam hominum avaritiam.

ELOQUIUM DOMINI IGNE EXAMINATUM. Eadem est sententia, et sub eadem, opinor, metaphorâ. Si quid auro admixtum aut vilioris metalli, aut si quid situ ac tempore inolevit impurum, illud excoquit ignis, qui aurum probat et mundat, et si ab obrusâ extremum acceperit examen, nihil illo splendidius, nihil pretiosum magis. Tale est Dei verbum, sive promittat, sive præcipiat aliquid, in quo nihil apparet simulati, ac falsi, sicut in auro examinato septies nihil ab omni terrestri concretionem relinquitur. Quare securus quisque potest esse de legis sanctitate, certus de promissorum fide. Dixit hoc idem iterum David Psal. 11, v. 7: *Eloquia Domini casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum.*

SCUTUM EST OMNIUM SPERANTIUM IN SE. Sive hæc de Deo, sive de illius lege aut promissione capias, quod videtur verius, quàm verissima sunt. Lex enim Dei, cui adjunctæ sunt promissiones tam largæ, quàm fideles, omnes propellit difficultates ac tela, sicut clypeorum oppositu vibrata inimicorum spicula, et intentæ ab hoste petitiones arcantur. Quòd Deus clypeus sit, et, ut habet in psalmo 17 Septuaginta translatio, *protector*, nostrâ nunc probatione non eget, cùm millies ab eodem auctore audiamus in psalmis.

VERS. 42. — QUIS EST DEUS PRÆTER DOMINUM? In aliis, quos indocta delusaque gentilitas deos appellat, neque fides est ulla, neque facultas, ut homines à periculis expediat, aut viam doceat, in quâ nulla occurrere possit offensio. Solus ille verus est Deus, cuius hoc loco egregius Psaltes merita commendat, et reliquos ab hoc augusto et divino nomine prorsus excludit.

VERS. 33. — DEUS, QUI ACCINXIT ME FORTITUDINE. Nihil in seipso magnum, nihil validum agnoscit Psaltes, sed quidquid habet strenuum, à seipso totum abdicat, et acceptum refert benignitati divinæ, quæ animum confirmat, armatque virtute, et corpus adversus inimicorum spicula communit. Fortitudo hoc loco arma significat, quibus à Deo accinctus esse dicitur David. Est enim in Scripturâ usitatum, ut quemadmodum signum pro re significatâ ponitur, sic etiam aliquando pro signo adhibeatur res significata. Sic aliquem lætitiâ coronatum dicimus, quia coronam gestat, quæ signum est et argumentum lætitiæ. Sic decorem Deus indutus esse dicitur, quia vestes indutus est, quæ corpori decorem et speciem attulerunt. Quare dùm accinctus dicitur David à Domino fortitudine, arma intelligit, sive illa propriè, sive metaphoricè intelligantur.

ET COMPLANAVIT PERFECTAM VIAM MEAM. In psalmo 17: *Et posuit immaculatam viam meam.* Sed est eadem omninò sententia, licet posteriori loco paulò obscurior. Macula in quocumque genere vitium est, et defectus, qualis in quâlibet rerum naturâ observari atque vituperari solet. In agno, aut vitulo maculæ sunt, quæ illos deformes reddunt, minùsque ad sacrificium idoneos. Macula verò non est color in pelle varius, à quo versicolor est pellis victimæ: nam quæ variis est distincta coloribus, quæ non ideò deformis existimatur, non est inepta sacrificiis. Id facilè colligitur ex Levit. cap. 22, v. 22, ubi jubet Deus ne qua sit macula in victimâ, quæ offertur in holocaustis, et statim, quæ sit illa macula, singulatim exponit: *Immaculatum, inquit, offerat ut acceptabile sit; omnis macula non erit in eo. Si cæcum fuerit, si fractum, si cicatricem habens, si papulas, aut scabiem, aut impetiginem,* etc. Idem penè de sacerdotibus dicit cap. 21, versiculo 18, quos jubet Dominus esse sine maculâ. Deinde, cùm maculam, quam abesse vult à sacerdotibus, explicat, ait: *Si cæcus fuerit, si claudus,* etc. Macula in facie non est tantùm nævus, sed quidquid faciem reddit invenustam et vas-

tam, ut si labra tumeant, lippiant oculi, dentes oblongi, rari, scabri; nasus aut depressus nimis, aut longus immodicè, aut tortus. Hæc omnia maculata dicuntur, et quæ his caruerint, immaculata. Sic etiam in viâ suæ quæque sunt maculæ, quæ nimirum illam difficilem reddunt, sentam, scopulosam, inviam. Verbi gratiâ, si salebris sit interrupta, si declivis nimium, aut nimium acclivis; si denique viatoris aut lasset vires, aut tardet incessum. Ut ergo Deus maculosam, aut maculatam viam ex Ægypto ad terram usque promissionis immaculatam reddidit, cùm fecit ne quid peregrinantibus esset impedimento aut molestiæ, cùm aperuit mare, inclinavit scopulos ad torrentem Arnon, et complanavit viam, de potu largiter ac de victu providit, sic etiam Davidi ad præclaros bellorum exitus viam reddidit immaculatam. Quod si ita est, satis convenit in psalmo 17 Septuaginta translatio, cùm illic dicatur immaculata, hic complanata via. Quomodò verò complanata fuerint viæ, statim ostenditur.

VERS. 34. — CŒQUANS PEDES MEOS CERVIS, ET SUPER EXCELSA MEA STATUENS ME. Quocumque modo decurri possit via, vel quia nihil habet asperum, ad quod offendant pedes, vel quia ea additur viatori velocitas, ut sine ullâ molestiâ ac morâ per loca scopulosa et ardua magna tranet spatia, complanata dicitur. Quo modo dicimus nihil esse clausum et obseratum, illi qui magnam habet in furando solertiam; et ingenio subtili et acri, in scripturâ impeditâ et obscurâ, nihil esse impeditum et obscurum. Erant quidem arduæ atque præruptæ viæ, per quas diu gradiebatur David, cùm illum vestigiis omnibus Saülis exercitus indagaret; adeò ut libro 1, capite 24, vers. 3, petra dicantur abruptissimæ, et ipsis tantum ibicibus perviæ. Nihilominus viæ dicuntur complanatae Davidi, non quia ex illarum asperitate aliquid existimetur esse detractum, sed quia Deus illi ibicum celeritatem et audaciam dedit. Ibibus autem non minùs expedita est via prærupta et aspera, quàm hominibus illa, in quâ nihil arduum est, nisi salebrosam et sentum. Ideò dicit datos fuisse à Deo cervorum pedes, qui saxa ascendunt, et securè calcant, et ad excelsa, et quæ hominibus judicantur inaccessa, quasi per ludum et jocum gradum moliantur. Hunc locum videtur expressisse Habacuc, et in tertium suæ prophetiæ caput contulisse. *Deus Dominus fortitudo mea, et ponet pedes meos quasi cervorum, et super excelsa mea deducet me.* Vide quæ nos ibi.

VERS. 35. — DOCENS MANUS MEAS AD PRÆLIUM, ET COMPONENTS QUASI ARCUM ÆREUM BRACHIA MEA. Non solum Davidi data est cervorum, ibicumque velocitas, quæ magno est usui illi qui rem tractat bellicam, sed etiam disciplinam docuit militarem, gladiatoriam, athleticam et sagittariam; et tantam dedit brachio firmitatem et robur ad torquendam hastam, aut lapidem ex fundâ, quantam habet arcus formatus ex chalybe ad torquendas sagittas. Hæc, opinor, certamen illud spectant, quod inivit David cum Goliath Gethæo, in cujus caput eo impetu torsit saxum ex fundâ, quo ab arcu æreo benè curvato emittitur sagitta. Quod ideò mihi persuadeo, quia psalmo 143, ubi hæc eadem propè verba reperiuntur, hic titulus præfigitur: *Adversus Goliath.*

VERS. 36. — DEDISTI MIHI CLYPEUM SALUTIS TUE: ET MANSUETUDO TUA MULTIPLICAVIT ME. In psalmo 17: *Et dedisti mihi protectionem salutis tuæ, et dextera tua suscepit me.* Clypeum pro defensione ac patrocinio sumi res est nota, et non obscura metaphora. Clypeus salutis Dei idem valet, quòd auxilium Dei, à quo David salutem obtinuit à divinâ protectione porrectam. Quod explicat in psalmo 17 posterius hemistichium, quod per epexegesim eandem iterat et simul explicat sententiam. Sed illud videtur minùs convenire, quod hoc loco legitur: *Mansuetudo tua multiplicavit me.* At Psal. 17: *Dextera tua suscepit me.* Neque tantum est in translatione diversitas, sed etiam in Hebraico textu. Cur ita contigerit, certi nihil habeo, sed si in re tantâ divinare licet, placet quod in re simili supra visum est, principio hæc verba sic esse vel scripta, vel pronuntiatâ à Davide, sicut sacer historicus excepit; deinde aliquid à Davide fuisse mutatum, cùm hæc eadem retulit in Psalterium.

De horum verborum sensu sic statuo, ideò Davidem non solum consecutum esse salutem, cùm jam de illâ actum esse existimare poterat, sed etiam obtinuisse regnum, quia ipse in hostes suos misericors maximè et mansuetus fuit. *Mansuetudo*, inquit, *tua multiplicavit me*, qui dicendi modus aliquid indicat eximium. Idem enim valet *mansuetudo tua*, quòd *mansuetudo Dei*. Notum est autem quæ in quolibet genere magna sunt, Dei opposito nomine ad magnum aliquem gradum attolli. Quo modo cedri sublimes et speciosæ cedri dicuntur Dei; et montes excelsi, montes Dei. Quàm verò mitis etiam in hostes fuerit David, paulò ante diximus. Hæc mihi visa sunt non abs re. Ne-